
Die xij. Augusti.

IN FESTO
S. CLARÆ VIRGINIS.
DVPLEX.



Omnia dicuntur de Communi Virginum, exceptis quæ infra ponuntur.

In primis Vesp. Antiph. Hæc est Virgo sapiens. Cum reliq. Antiph. Psalmis, Hymno, & Versiculo de cõi Virginum.

Ad Magnificat. Veni sponsa Christi. Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster; vt sicut de Beatæ Claræ Virginis tuæ festiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum, &c.

Ad Matutinum Inuitatoriũ. Regem Virginum Dominum. Psal. Venite exultemus.

Hymnus.

Virginis proles opifexque matris.
Virgo quem gessit, peperitq. Virgo.
Virginis festũ canimus beatę, Accipe votum.
Huius oratu De⁹ alme nobis.
Debitas pœnas scelerum remitte.
Vt tibi puro resonem⁹ almũ.
Pectore Carmen.
Sit dec⁹ Patri, genitæq. Proli,
Et tibi cõpar vtriusq; virtus.
Spiritus semper, Deus vnus, omni.
Temporis æuo. Amen.

In primo Noctur. Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Noct. Lect. iiij.

Clara, nobilis Virgo, Assisij nata in Vmbria, S. Frãciscum Ciuem suum imitata, facultatibus suis in pauperes erogatis, quemadmodum ille fratrũ, sic ipsa sacrarum Sororum Collegium instituit: cum quibus in Ecclesia Sancti Damiani vixit admirabili sanctitate: quæ Saracenis Assisium obsidentibus, & Monasteriũ, cui illa præerat inuadere conãtibus; ægra se ad portã afferri voluit, vnaque Vas, in quo Sãctissimum Eucharistię Sacramentum erat inclusum: ibiq; orauit in hunc modum. Ne tradas, Domine, bestijs animas cõfitentes tibi, & custodi famulas tuas, quas pretioso

Sanguine redemisti. In cuius oratione ea vox audita est: Ego vos semper custodiam. Saraceni autē partim se fugę mandarunt, partim qui murū ascenderant, capti oculis, præcipites ceciderunt. Ipsa Virgo paulò post ieiunijs, orationibus, vigilijsq; confecta; cum duos, & quadraginta Annos, summa cum laude Monasterium gubernasset, multaque edidisset miracula; pridie Idus Augusti, Sacra Eucharistia sūpta, animā Deo reddidit, Innocentio Quarto Sūmo Pontifice, qui ægrotantem Virginem inuisit, eiq. suppliciter petenti indulgentiam peccatorū impertiuit. Quam postea Alexāder Quartus inter Sanctas Virgines retulit.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna: Et deducet. Lectio v.

Ex libro S. Cypriani Episcopi & Martyris, de disciplina, & habitu Virginum. cap. 2.

NVnc nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, maior & cura est, flos est ille Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentū gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrū, atque incorruptū, Dei imago respōdens ad sanctimoniam Dñi, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fæcunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tātò plus gaudiū matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur, affectione potius, quam potestate: nō quod extremi, & minimi, & humilitatis nostræ ad modum conscij, aliquid ad cēsuram licentiæ. Vindicemus, sed quod ad sollicitudinē magis cauti, plus de Diaboli infestatione timeamus.

℟. Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatē: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam. Propterea, &c. Lectio vj.

NEque inanis hæc cautio est, & vana formido, quæ ad salutis viam consulit, quæ Dominica, & vitalia præcepta custodit; vt quæ se Christo dicauerint, & à carnali concupiscētia recedētes, tàm carne, quàm mente se Deo vouerint, cōsument opus suum, magno præmio destinatū: nec ornari iam, aut placere cuiquam, nisi Domino suo studeāt, à quo & mer-

mercedem virginitatis expectant, dicente ipso: Non omnes capiunt verbum, sed illi, quibus datum est. Sunt enim Spadones, qui ex vtero matris sic nati sunt: & sunt spadones, qui coacti sunt ab hominibus: & sũt spadones, qui se ipsos castrauerunt propter Regnum cælorum. ℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ eius, Afferẽtur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere, procede, & regna. Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. Gloria. Afferẽtur.

In tertio Nocturn. Lectio vij.

Lectio sancti Euangelij secũdnm Matthæum. *cap.* 25.

IN illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis parabolã hanc. Simile erit regnum Cælorum decem Virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.
Homil. 12. *in Euangelia.*

SÆpe vos, fratres charissimi, admoneo praua opera fugere, mũdi hui' inquinamẽta deuitare: sed hodierna sancti Euangelij lectione cõpellor dicere. Vt & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis: ne per hoc ꝙ à vobis rectum geritur, fauor, aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, & ꝙ foris ostenditur, intus à mercede euacuetur. Ecce enim Redẽptoris voce decẽ virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam, non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dũ de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleũ habere noluerunt. ℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secũ oleum: Et veniente Domino introiuit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Et veniente.

Lectio viij.

SEd prius quærendum nobis est, quid sit Regnũ Cælorum, aut cur decem virginibus comparetur, quæ etiã virgines prudentes, & fatuæ dicantur. Dum enim Cælorum regnum constat, quia reproborum nullus ingreditur, etiã fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciendum nobis est, quòd sæpe in sacro eloquio regnum Cælorũ præsentis temporis Ecclesia dicitur. De quo alio in loco Dominus dicit: Mittet filius hominis Angelos suos, & colligẽt de regno eius omnia scãdala

Sanguine redemisti. In cuius oratione ea vox audita est: Ego vos semper custodiam. Saraceni autē partim se fugę mandarunt, partim qui murū ascenderant, capti oculis, præcipites ceciderunt. Ipsa Virgo paulò post ieiunijs, orationibus, vigilijsq; confecta; cum duos, & quadraginta Annos, summa cum laude Monasterium gubernasset, multaque edidisset miracula; pridie Idus Augusti, Sacra Eucharistia sūpta, animā Deo reddidit, Innocentio Quarto Sūmo Pontifice, qui ægrotantem Virginem inuisit, eiq. suppliciter petenti indulgentiam peccatorū impertiuit. Quam postea Alexāder Quartus inter Sanctas Virgines retulit.

℞. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna: Et deducet. Lectio v.

Ex libro S. Cypriani Episcopi & Martyris, de disciplina, & habitu Virginum. cap. 2.

NVnc nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, maior & cura est, flos est ille Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentū gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrū, atque incorruptū, Dei imago respōdens ad sanctimoniam Dñi, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fæcunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tātò plus gaudiū matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur, affectione potius, quam potestate: nō quod extremi, & minimi, & humilitatis nostræ ad modum conscij, aliquid ad cēsuram licentiæ. Vindicemus, sed quod ad sollicitudinē magis cauti, plus de Diaboli infestatione timeamus.

℞. Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatē: Propterea vnxit te Deus, Deꝰ tuꝰ oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam. Propterea, &c. Lectio vj.

NEque inanis hæc cautio est, & vana formido, quæ ad salutis viam consulit, quæ Dominica, & vitalia præcepta custodit; vt quæ se Christo dicauerint, & à carnali concupiscētia recedētes, tàm carne, quàm mente se Deo vouerint, cōsument opus suum, magno præmio destinatū: nec ornari iam, aut placere cuiquam, nisi Domino suo studeāt, à quo & mer-

mercedem virginitatis expectant, dicente ipso: Non omnes capiunt verbum, sed illi, quibus datum est. Sunt enim Spadones, qui ex vtero matris sic nati sunt: & sunt spadones, qui coacti sunt ab hominibus: & sũt spadones, qui se ipsos castrauerunt propter Regnum cælorum. ℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ eius, Afferẽtur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere, procede, & regna. Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. Gloria. Afferẽtur.

In tertio Nocturn. Lectio vij.

Lectio sancti Euangelij secũdnm Matthæum. *cap.* 25.

IN illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis parabolã hanc. Simile erit regnum Cælorum decem Virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 12. *in Euangelia.*

SÆpe vos, fratres charissimi, admoneo praua opera fugere, mũdi hui⁹ inquinamẽta deuitare: sed hodierna sancti Euangelij lectione cõpellor dicere. Vt & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis: ne per hoc ꝙ à vobis rectum geritur, fauor, aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, & ꝙ foris ostenditur, intus à mercede euacuetur. Ecce enim Redẽptoris voce decẽ virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam, non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dũ de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleũ habere noluerunt. ℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secũ oleum: Et veniente Domino introiuit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Et veniente.

Lectio viij.

SEd prius quærendum nobis est, quid sit Regnũ Cælorum, aut cur decem virginibus comparetur, quæ etiã virgines prudentes, & fatuæ dicantur. Dum enim Cælorum regnum constat, quia reproborum nullus ingreditur, etiã fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciendum nobis est, quòd sæpe in sacro eloquio regnum Cælorũ præsentis temporis Ecclesia dicitur. De quo alio in loco Dominus dicit: Mittet filius hominis Angelos suos, & colligẽt de regno eius omnia scãdala

dala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inueniri scandala poterunt, quæ corrigantur. ℟. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. ℣. Prudentes virgines aptate vestras lãpades. Ecce sponsus. Gloria Patri. Ecce sponsus. Lectio ix.

IN quinque autem corporis sensibus vnusquisque subsistit Geminatus autẽ quinarius, denarium perficit. Et quia ex vtroque sexu, fidelium multitudo colligitur, Sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denunciatur. In qua quia mali cũ bonis, & reprobi cum electis admixti sũt, rectè similis virginibus prudentibus, & fatuis esse perhibetur. Sunt namque plerique continentes, qui ab appetitu se exteriori custodiunt, & spe ad interiora rapiuntur, carnẽ macerant, & toto desiderio ad supernã patriam anhelant æterna præmia expetũt, pro laboribus suis recipere laudes humana nolunt. Hi nimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinẽtia humanos fauores expetunt. Te Deum.

Ad Laudes omnia de Communi virginũ. Similiter & ad horas.

In secundis Vesp. Fit commem. S. Laurentii, & SS. Hippolyti, & Cassiani martt. &c.

SAnctiss D. N. VRBANVS VIII. benignè inclinatus enixis supplicationibns Capituli generalis Fratrum Minorum nuperrimè in Vrbe celebrati in Conuentu S Mariæ de Aracæli, eximia pietate Eminentiss. & Reuerendiss. Cardinalis Barberini totius eiusdem Ordinis Protectoris instantissimè repetitis pro indicendo omnibus Christi fidelibus Officio S. Claræ sub ritu duplici in die eius festo, supplicationem de more examinandam à Sacram Rituum Congregationem remisit, ibique maturè discussa; Eadem Sac. Rituum Congregatio censuit, si Sanctiss. placuerit, posse cõcedi, vt in die Festo d. S. Claræ liceat omnibus Christi fidelibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus vtriusq; sexus ad libitũ recitare Officium d. Sanctæ sub ritu duplici, cum Oratione, & quarta Lectione propria insertis in Breuiario Romano, & reliquis aliis de communi Virginum iuxta rubr. in Breuiarij. Et pro maiori recitantium commoditate imprimendi licentiam elargiri, & de præmissis facta per me Secretarium relatione Sanctiss. Sanctitas Sua Senrentiam Sacræ Congregationis laudauit, & approbauit. Die quarta Februarij 1640.



P. Card. Crescentius

Loco † Sigilli.

Iulius Cincius Secr.